

dinis flore, prout alterutrum frequentiae genus invaluisset, silentes quietosque lictores tuos subsequere. Nam milites nihil a plebe habitu, tranquillitate, modestia differebant. Ubi vero coepisti Capitolium ascendere, quam laeta omnibus adoptionis tuae recordatio! quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverant imperatorem! quin etiam deum ipsum tuum praecipuam voluptatem operis sui percipisse crediderim. Ut quidem iisdem vestigiis institisti, quibus parens tuus ingens illud deorum prolaturus arcanum, quae circumstantium gaudia! quam recens clamor! quam similis illi dies, qui hunc genuit diem! ut plena altaribus, augusta victimis cuncta! ut in unius salutem collata omnium vota! quum sibi se, ac liberis suis, intelligerent precari, quae pro te precarentur. Inde tu in palatium quidem, sed eo vultu, sed ea moderatione, ut si privatam domum peteres; ceteri ad penates suos, quisque iteraturus gaudii fidem, ubi nulla necessitas gaudendi est.

XXIV. Onerasset alium ejusmodi introitus; tu quotidie admirabilior et melior; talis denique, quales alii principes futuros se tantum pollicentur. Solum ergo te commendat augetque temporis spatium. Junxisti enim ac miscuisti res olim diversissimas, securitatem olim imperantis, et incipientis pudorem. Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Manet imperatori, quae prior oris humanitas, dextrae verecundia. Incedebas pedibus, incedis; laetabar laboribus, laetaris; eademque omnia illa circa te, nihil in ipso te fortuna mutavit. Liberum est, ingrediente per publicum principem, subsistere, occurrere, comitari, praeterire: ambulas inter nos, non quasi contingas: et copiam tui, non ut imputes, facis. Haeret lateri tuo, quisquis accessit: finemque sermoni suis cuique pudor, non tua superbia, facit. Regimur quidem a te, et subjecti tibi, sed quemadmodum legibus, sumus. Nam et illae cupiditates nostras libidinesque moderantur, nobiscum